

AP Latin Aeneid Book 6

- 295 Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas.
296 Turbidus hic caeno vastaque voragine gurges
297 aestuat, atque omnem Cocyto eructat harenam.
298 Portitor has horrendus aquas et flumina servat
299 terribili squalore Charon, cui plurima mento
300 canities inulta iacet; stant lumina flamma,
301 sordidus ex umeris nodo dependet amictus.
302 Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
303 et ferruginea subvectat corpora cymba,
304 iam senior, sed cruda deo viridisque senectus.
305 Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
306 matres atque viri, defunctaque corpora vita
307 magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
308 impositique rogis iuvenes ante ora parentum:
309 quam multa in silvis autumni frigore primo
310 lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
311 quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
312 trans pontum fugat, et terris immittit apricis.
313 Stabant orantes primi transmittere cursum,
314 tendebantque manus ripae ulterioris amore.
315 Navita sed tristis nunc hos nunc accipit illos,
316 ast alios longe submotos arcet harena.
317 Aeneas, miratus enim motusque tumultu,
318 'Dic' ait 'O virgo, quid volt concursus ad amnem?
319 Quidve petunt animae, vel quo discrimin'e ripas

320 hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?
321 Olli sic breviter fata est longaeva sacerdos:
322 'Anchisa generate, deum certissima proles,
323 Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,
324 di cuius iurare timent et fallere numen.
325 Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est;
326 portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti.
327 Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
328 transportare prius quam sedibus ossa quierunt.
329 Centum errant annos volitantque haec litora circum;
330 tum demum admissi stagna exoptata revisunt.'
331 Constituit Anchisa satus et vestigia pressit,
332 multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.

384 Ergo iter incepturn peragunt fluvioque propinquant.
385 Navita quos iam inde ut Stygia prospexit ab unda
386 per tacitum nemus ire pedemque advertere ripae,
387 sic prior adgreditur dictis, atque increpat ulti:
388 'Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
389 fare age, quid venias, iam istinc, et comprime gressum.
390 Umbrarum hic locus est, somni noctisque soporae;
391 corpora viva nefas Stygia vectare carina.
392 Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
393 accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque,

394 dis quamquam geniti atque invicti viribus essent.
395 Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,
396 ipsius a solio regis, traxitque trementem;
397 hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.'
398 Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
399 'Nullae hic insidiae tales; absiste moveri;
400 nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
401 aeternum latrans exsanguis terreat umbras,
402 casta licet patrui servet Proserpina limen.
403 Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
404 ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.
405 Si te nulla movet tantae pietatis imago,
406 at ramum hunc' (aperit ramum, qui veste latebat)
407 'adgnoscas.' Tumida ex ira tum corda residunt.
408 Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
409 fatalis virgae, longo post tempore visum,
410 caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat.
411 Inde alias animas, quae per iuga longa sedebant,
412 deturbat, laxatque foros; simul accipit alveo
413 ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
414 sutilis, et multam accepit rimosa paludem.
415 Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
416 informi limo glaucaeque exponit in ulva.

417 Cerberus haec ingens latratu regna trifaci
418 personat, adverso recubans immanis in antro.

419 Cui vates, horrere videns iam colla colubris,
420 melle soporatam et medicatis frugibus offam
421 obicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
422 corripit obiectam, atque immania terga resolvit
423 fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
424 Occupat Aeneas aditum custode sepulto,
425 evaditque celer ripam inremebilis undae.

450 Inter quas Phoenissa recens a volnere Dido
451 errabat silva in magna; quam Troius heros
452 ut primum iuxta stetit adgnovitque per umbras
453 obscuram, qualem primo qui surgere mense
454 aut videt, aut visuisse putat per nubila lunam,
455 demisit lacrimas, dulcique adfatus amore est:
456 'Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
457 venerat exstinctam, ferroque extrema secutam?
458 Funeris heu tibi causa fui? Per sidera iuro,
459 per superos, et si qua fides tellure sub ima est,
460 invitus, regina, tuo de litore cessi.
461 Sed me iussa deum, quae nunc has ire per umbras,
462 per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
463 imperiis egere suis; nec credere quivi
464 hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
465 Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.

466 Quem fugis? Extremum fato, quod te adloquor, hoc est.'

467 Talibus Aeneas ardentem et torva tuentem

468 lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.

469 Illa solo fixos oculos aversa tenebat,

470 nec magis incepto voltum sermone movetur,

471 quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

472 landem corripuit sese, atque inimica refugit

473 in nemus umbriferum, coniunx ubi pristinus illi

474 respondet curis aequatque Sychaeus amorem.

475 Nec minus Aeneas, casu concussus iniquo,

476 prosequitur lacrimis longe, et miseratur euntēm.

847 Excident alii spirantia mollius aera,
848 credo equidem, vivos ducent de marmore voltus,
849 orabunt causas melius, caelique meatus
850 describent radio, et surgentia sidera dicent:
851 tu regere imperio populos, Romane, memento;
852 hae tibi erunt artes; pacisque imponere morem,
853 parcere subiectis, et debellare superbos.'

854 Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
855 'Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
856 ingreditur, victorque viros supereminet omnes!

857 Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
858 sistet, eques sternet Poenos Gallumque rebellem,
859 teriaque arma patri suspendet capta Quirino.'
860 Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
861 egregium forma iuvenem et fulgentibus armis,
862 sed frons laeta parum, et deiecto lumina voltu:
863 'Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
864 Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum?
865 Quis strepitus circa comitum! Quantum instar in ipso!
866 Sed nox atra caput tristi circumvolat umbra.'

867 Tum pater Anchises, lacrimis ingressus obortis:
868 'O gnate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
869 ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
870 esse sinent. Nimium vobis Romana propago
871 visa potens, Superi, propria haec si dona fuissent.
872 Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
873 campus aget gemitus, vel quae, liberine, videbis
874 funera, cum tumulum praeterlabere recentem!
875 Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
876 in tantum spe tollet avos, nec Romula quandam
877 ullo se tantum tellus iactabit alumno.
878 Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
879 dextera! Non illi se quisquam impune tulisset
880 obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,
881 seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
882 Heu, miserande puer, si qua fata aspera rumpas,

- 883 tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis,
884 purpureos spargam flores, animamque nepotis
885 his saltem adcumulem donis, et fungar inani
886 munere' - Sic tota passim regione vagantur
887 aeris in campis latis, atque omnia lustrant.

888 Quae postquam Anchises natum per singula duxit,
889 incenditque animum famae venientis amore,
890 exin bella viro memorat quae deinde gerenda,
891 Laurentisque docet populos urbemque Latini,
892 et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.

893 Sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur
894 cornea, qua veris facilis datur exitus umbris;
895 altera carenti perfecta nitens elephanto,
896 sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.

897 His ubi tum natum Anchises unaque Sibyllam
898 prosequitur dictis, portaque emitit eburna,
899 ille viam secat ad naves sociosque revisit:
900 tum se ad Caietae recto fert litore portum.
901 [Ancora de prora iacitur, stant litore puppes.]